

SARMATA COMES 2.



Sarmata fuit secundus comes Tuisconis, quem Moses & Iosephus Asarmoten uocant. Erat hic homo ferox, & ad arma natus. Itaque sese huius itineris socium præbens, omnem terram que inter Borysthenem & Istrum fluuios interiacet, occupauit, atque suæ ditioni adiecit, quam etiam paulatim ad Mœoticas paludes extendit. Cum autem ipse ferox & agrestis homo fuerit, etiam tales eius subditos cōstituit, qui promissas barbas & longos capillos plerunque ferentes, à cibo rudiori Hippomuli & Galactophagi, hinc inde apud rerum scriptores & Geographos dicti sunt. Berol. Zieg.